

XXV,
RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
CONCIONEM FVNEBREM
QVAE
DOMINAE
PRAENOBILISSIMAE ET ORNA
TISSIMAE

MAGDALENAE
SIBYLLAE



E GENTE
BAVDISIANA
VIRI

PRAENOBILISSIMI ET IVRISCONSULTISSIMI
DOMINI

D. IOH. FRIDERICI
HOECKNERI

COM. PAL. CAESAREI IVR. NAT. ET GENT.
IN HAC ACAD. PROFESSORIS PVBL. ET ORD.
NEC NON CVRIAE SVPR. PROVINCIALIS AC CONSIST.
ECCLESIAST. LIPS. ADVOCATI LONGE
SPECTATISSIMI

CONIVGI NVNC DESIDERATISSIMAE
DIE XX. AVG. A. C. M DCC XXVII.
IN TEMPLO D. PAVLI ACADEMICO
RITV PIO HABEBITVR
INTIMAT.

Biogr. erud.
D. 212, 86.

Hist. Erud. fung. — Vol. 11



SUMMA aliqua est et habetur BEATORVM felicitas, quod VESTIBVS ALBIS amicti et exornati ingressuri dicantur in regnum coelorum. Testimonium eius rei luculentum habemus in vaticinio D. IOANNIS, α) quod ad episcopum Sardanensem, ex iussu EIVS, qui est ὁ Κύριος, ὁ παντοκράτωρ, perscripsit. *Qui vicerit (mundum), amictietur (in ἀνάσσει nempe τῶν νεκρῶν) vestimentis ALBIS.* Sunt enim adhuc, ait IS, qui habet septem Spiritus DEI, β) nomina quaedam Sardibus, sed pauca, quae non inquinaverunt vestimenta sua, et quae propterea περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς, ambulabunt mecum ALBATI. Magna inde olim, etiam ante illa tempora, quam haec, ex ore Salvatoris sanctissimi, praediceret IOANNES, orta est disceptatio: Num BEATI, post resurrectionem corporum factam, VESTIBVS amicti, et quidem ALBIS, coelum, sedem suam beatam, sint ingressuri? CLEOPATRAM, Aegypti reginam eiusmodi quid aliquando sciscitatam esse ex magistro Iudaeorum MEIR, anilis gentis huius γ) est traditio. Docent et credunt quippe Iudaei antiquiores, quod, cum triticum, nudum vtut disseminetur folliculis detractis, iisdem tamen folliculis munitum ex terra rursus prodeat, jam homo quoque cum vestimentis sit ex terra proditurus, et iis quidem, cum quibus sepultus fuerat. Et cum VESTES NIGRAE impiorum et damnatorum futura sint signa, VESTES autem ALBAE et CANDIDAE beatorum propriae sint; se his etiam indui, dum tumulo conduntur, Iudaeorum magistri antiquissimi praecipunt. Constat id cum primis ex postulato R. IIRMEIAH sat ridiculo, de quo haec in Talmude δ) legimus: *Mandavit Iirmejah ac dixit: vestite me vestibus albis et puris, et induite me caligis, ac indite manui meae baculum, ac calceos pedibus meis; sicque me viae praeparate, ut cum vocatus fuero, ego paratus sim.* Alius quidem magister Iudaeorum, R. IOCHANAN, nec nigris, nec candidis vestimentis, sed coloris subviridis, se inuolui post mortem cupiebat. *Sepelire me, aiebat, vestibus DEKORA coloratis, id est, coloris subviridis ε) quae neque candidae sunt neque nigrae, et subdit mox hanc rationem prorsus egregiam, ne, si inter iustos resurgam, pudefiam (ob vestes nigras), ne si resurgam inter impios, confundar, (ob vestes nempe candidas.)* At bene est, quod sint inter Iudaeorum magistros, maxime recentiores, qui, totam illam veterum traditionem de VESTIBVS IVSTORVM, cum quibus eos resurrecturos asseritur, non in sensu proprio, sed improprio et metaphorico assumendam subolent, easdemque vestes vel de iustitia piorum, vt R. SALOMO EPHRAIM vult, vel etiam de corporibus iustorum, claritatem summam habituris, vt R. SALOMO, Leuita Theffalonicensis, fecit, ζ) interpretantur. Nec dissonam ac dissimilem esse hanc interpretationem doctrinae sacrarum literarum saniori, comparatio locorum rectius instituta facile condocet. Sicuti enim inquinatio vestimentorum, a qua paucos Sardanensium immunes esse ANGELVS ille DEI apud IOANNEM pronunciat, de impuritate vitae et doctrinae est accipienda, eorum maxime, qui fidei naufragium η) faciunt et mundum amant: ita amictus VESTIVM ALBARVM summam vitae aeternae puritatem et felicitatem denotat. Laetitiae signum sunt VESTES ALBAE in sacris literis. Idcirco enim SALOMO θ) cohortatur hominem probum et pium: *Comede cibum tuum cum laetitia, et bibe animo hilari vinum tuum; vestimenta tua sunt NITIDA, quando gratia sua et benedictione Deus opus tuum complectitur.* Et Romanos olim per dies festos ac solennes toga ALBA indutos incessisse, et VESTIBVS ALBIS

α) Apoc. III, 5. β) l. c. in commate anteced. 4. γ) conf. Talmud. in Gemara Babilonica Masfeh. Sanhedrin. fol. XC. col. 2. et Excerpta Gemarae Io. Cocceii cap. XI §. 4. p. 309. δ) in Bereschith Rabba fol. CXIV. col. I. et add. HORNBECKIVM de conu. Iud. lib. IIX. cap. 5. p. 557. ε) vti PLANTAVITIVS vocem נִיטְוּתָא ita explicat in Racematione fol. 1175. ζ) Memorat loca illa Rabbīnorum D. CARPZOVIUS P. II. conc. funeb. p. 776. sq. η) 1. Tim. I, 19. θ) Coh. IX, 7. 8.

BIS in triumpho maxime usus, ex veterum locis a PITISCO δ) collectis est manifestum. Atque hinc iis quoque VESTES ALBAE in codice literarum sacrarum tribuuntur, quos in *gaudium coeleste introire, et corona gloriae amarantina*, victorum ad instar, *exornari*, κ) DOMINVS iubet. VESTES ALBAE sanctitatis et innocentiae symbolum sunt; quam ob causam *catechumeni*, in primitiua Ecclesia Christiana per integros dies octo, post baptismum acceptum, toti ALBATI incedebant, et inde etiam *septimana* in ALBIS nomen suum λ) accepit. Et cum sanctitate et puritate animae similes BEATI futuri sint angelis μ), qui in sepulcro CHRISTI VESTE enitebant CANDIDA: quid prohibet, quo minus vestimenta alba BEATORVM velut propria esse dicamus. Porro domini et imperii signum VESTES ALBAS olim fuisse habitas, non IOSEPHI tantum exemplum, quem ministrum aulae suae summum constitutum *veste alba* condecorari iubebat Pharaon ν), sed et CHRISTI exemplum comprobatur, cui Herodes, quod Regem eum sui salutarent, *vestem albam* \omicron) dabat; licet id non venerationis, sed contemptus causa ab eo factum. Eadem imperii significatio vestibus IVSTORVM albis inest, quos regnum aeternum, a primordiis mundi ipsis destinatum, adepturos et in regno patris sui splendore multo, perinde ut Seruatorem nostrum optimum in veste sua candida, qua amictus in monte Thabor adparebat, corruscaturus, ex testimoniis Scriptorum sacrorum π) luculentissimis no- uimus et credimus. Datae sunt hae VESTES piarum animarum ALBAE haut ita pridem coram throno REGIS, qui EST et semper ERIT, feminae nobilissimae, dominae MAGDALENAE SIBYLLAE HOECKNERIAE, gentis BAVDISIANA- NAЕ, quae sanctitate et innocentia vitae, inter alia sexus sui ornamenta, enituit. Vitam ILLA coelesti munere accepit in hac ciuitate nostra A. C. MDCXCV. die XIV. Maii, a parentibus virtutis meritorumque laude spectatissimis. Nondum enim memoria nostra excidit nomen et virtus parentis EIVS quondam praenobilissimi et iuris consultissimi, D. LEONHARDI BAVDISII, praetoris senioris in hac vrbe nostra meritissimi et Antistitis Scholae Thomanae grauissimi, qui vestibus IVSTORVM albis se hoc magis dignum reddidit, quo magis in fori causis iustitiam, et in scholae rebus pietatem amabat. Nec matris MARGARETHAE, e gente BOSIANA prognatae, matronae vrbe nostrae nobilissimae, virtutem intemeratam, et pietatem infucatam, prudentiam item comitatemque prorsus singularem ventura facile aetas oblitterabit, quod tum genti suae, tum aliis, quo modo VESTES virtutis ALBAE parandae sint, laudabili IPSA exemplo semper praeiuerit. Augent hoc gentis EIVS decus maiorum piorum nomina splendidissima, quos inter auum paternum habuit *Laurentium Baudisium*, Ecclesiae superioris Lignicensis in Silesia Pastorem, Scholarum Euangelicarum Praesidem, et Ministerii Ecclesiastici in Ducatu Lignicensi Seniore primarium; et auiam paternam, *Rosinam*, viri doctissimi, *M. Christophori Wagneri*, Pro-Rectoris et Graecae linguae in lycaco Lignicensi Professoris, filiam. Auum autem maternum coluit *Ioannem Ernestum Bosium*, Senatorem et Aedilem Lipsiensem, ac Scholae Thomanae Antistitem grauissimum, qui connubii iucundissimi foedere coniunctus erat cum *Regina*, viri spectatissimi, *Georgii Winckleri*, Domini haereditarii in Doelitz et Stinz, et negotiatoris primarii Lipsiensis filia, NOSTRAE auia materna nobilissima. Fecit auorum virtus et parentum exemplum, vt quam primum modo soboles haec nostra BAVDISIANA primis fidei et religionis nostrae Christianae fundamentis, pro ingenii sui, quod satis docile habebat, felicitate imbuta fuerat, ILLA non mundi muliebris varium inanemque splendorem, sed vestium albarum candorem, hoc est, animi pietatem et modestiam, morum comitatem et castitatem, rem familiarem bene curandi prudentiam, et parentes optimos colendi; ac sorores cognatosque proximos amandi promptitudinem, verbo, vitae sanctitatem et innocentiam deamaret. Cum primis vero matrem suam piissimam, matronarum Lipsiensium praesens adhuc decus, quando non vno subinde cum corporis morbo con-

flicta-

δ) in *Lex. Antiqu. Rom.* Tom. II. voce *toga* p. 969. sq. adde *Dempsterum Paralip.* ad Lib. IV. *Antiqu. Rom.* ROSINI cap. IX. p. 610. κ) *Matth.* XXV, 21. et *1. Petr.* V, 4. λ) Diximus ea de re quaedam in *programme* nostro *funebri* in memoriam B. SCHVTZIAE superiori anno scripto et edito. μ) *Matth.* XXII, 30. ν) *Gen.* XLI, 42. \omicron) *Luc.* XXIII, 10. π) *Apoc.* III, 5. coll. *Dan.* XII, 3. et *1. Cor.* XV, 14.

fictaretur, opis suae constantia et dexteritate fida fouit, et ipsius pietatis suae integritate, ad spem in DEO vnice reponendam, saepius excitauit. Qua animi sui virtute, iuxta cum corporis bene compositi forma, vultusque perpetua verecundia, cum omnium facile amorem sibi conciliaret, diuini Numinis nutus et imperium demum virum praenobilissimum et iuris consultissimum, DN. D. IO. FRIDERICVM HOECKNERVM, iusti et aequi penes nos doctorem non minus, ac patronum felicissimum, doctissimumque, excitabat, vt, postquam ROTHIAM, coniugem suam priorem suauissimam, per VIII. annos integros, deplorauerat, EAM sibi in matrimonium expeteret. Suspiciebat NOSTRA, animo et consilio HOECKNERI cognito, vna cum matre sua veneranda, reuerenter benignam patris sui coelestis voluntatem; et matrimonium honeste expetitur die XXIII. Octobr. An. MDCCXXV. cum HOECKNERO consultissimo, inter gentis et domus vtriusque vota et gaudia multa, feliciter inibat. Mineruam Iouis cerebro propterea natam esse, et matre omni caruisse Callimachus scribit, quod in sexum sequiorem sapientia non cadat. At fallere falsumque esse in hoc Poëtam Cyrenaeum, HOECKNERIAE inter alia exemplum sat praeclarum docuit, quae tum in aetate sua virginea, qua matris optimae domum decorabat, tum maxime in matrimonio suo, bimulo multa et sat eximia prudentiae femineae documenta edidit atque reliquit, solitudinis onus, quod maritus hucusque sustinuerat, consortii sui et alloquii suauitate leuando, laborum molestias animi sui patientissimi moderatione mitigando, rem eius familiarem, qua feminam prudentem decet, cura et industria administrando, ac non mundum muliebrem auro multo aut distinctam aut coemtam, cum maxima fere sexus sui parte, inaniter amando, sed VESTES virtutis ALBAS, hoc est, vitae sanctimoniam veram et iustam in deliciis et pretio habendo. Nec sibi parum gratulabatur maritus, quod in BAVDISIA sua virtutem ROTHIAE, coniugis suae prioris, munere sibi coelesti redditam cerneret; cuius vtriusque coniugii suauitati nil, praeter foecunditatem, deerat. At maior tamen virtutis erat foecunditas, qua NOSTRA tum matrem suam BAVDISIAM, tum mariti sui patrem grauissimum, HOECKNERVM, exhilarabat, et vtriusque senium mirifice solabatur. Hoc tantum optandum erat, vt ad tantam vitae iucunditatem, quae vtrique genti chara erat, matrimonii diurnitas accessisset, quam vero mors HOECKNERIAE nostrae immatura proxime elapso die decimo Augusti abrumpebat. Neruorum corporis multam a pluribus aetatis suae annis imbecillitatem NOSTRA senserat, quae demum nupero die decimo octauo mensis Iulii in dolorem et tremorem artuum vehementem erumpebat, cum excretionem quadam scorbutica coniunctum. Hanc papularum mox albarum simul et rubidarum eruptio excipiebat, cordis item anxietas, deliquium, calor adurens in ventriculo et faucibus, vomitus denique et singultus, quorum symptomatum vi corporis tenuioris vires facile frangebantur et demum absumebantur. Adferebant leuamen aliquod aegrotanti medicamina saluberrima, ex consilio Medici sui praestantissimi, et vigilantissimi, D. ETTMULLERI, Pathologiae in hac Academia nostrae Professoris publici, adhibita; quorum vim demum vero omnem infrangebant et adimebant papulae albicantes nouae, quae inter motus corporis conuulsuos prodibant. Quarum adustione ita demum NOSTRA conficiebatur, vt vbi aliquot iam ante dies viaticum coenae Dominicae sacrum acceperat, plena fide in CHRISTVM et spe salutis aeternae, die X. Augusti, qui nuper transiit, inter horam nonam et decimam vespertinam, quatuor supra tres menses abhinc diebus anno aetatis suae XXXII. exacto vitam cum vestibus deponeret, VESTES vitae aeternae et gloriae interminabilis ALBAS mox a CHRISTO, sponso illo coelesti, acceptura. Has qui EI, lacrymas inter MARITI, MATRIS, et COGNATORVM pias et iustas gratulantur, et vt earum aliquando ipsimet compotes fiant, peroptant, eos omnes vt *concioni funebri*, qua virtus defunctae nostrae HOECKNERIAE post horam a meridie primam in templo Academico celebrabitur, frequentes adsint, qua par est, pietate rogamus, hortamur. P. P. die XX. Augusti A. R. S. MDCCXXVII.

LITTERIS IMMANVELIS TITII